LAURENTII MIZLERI

Philos. & Med. Doctoris, Pract. Varsauiensis
Societ. Scient. m. in Germ. Socii

CONSULTATIO

de

Necessitate collegii medici
Auctoritate Regia
Varsauiæ erigendi.



VARSAVIAE

Typis R.M. & Reipub. in Coll. Schol. Piar.
Anno I. S. MDCCLII



I

Sanitatem pretiosissimum esse hominum thesaurum, ómnisque felicitatis humanæ fundamentum, qui neget, opinor, reperiri forte neminem. In tanto enim pretio apud omnes fere homines est integritas corporis mentisque, vt homo agrestis sanus principe ægroto perfectior habeatur feliciorque, neque malo nititur fundamento illa apud omnes gentes introducta consuetudo quærendi ex aliis, quomodo se habeant, videlicet, vtrum sani sint, recte credentes, omnia bene futura, si a sanitate haud sint alieni.

II

Hanc autem, quam DEUS ac natura largitus est hominibus sanitatem, non omni vitæ tempore conseruari, eosque variis ex caussis de ea iterum deturbari posse, experientia testatur quotidiana. Et quem porro fugit, ægrotum hominem neque DEO, neque Reipublicæ neque rebus domesticis, neque amicis, vt inseruiat, aptum esse. Cum igitur sole meridiano clarius appareat, maximam rem in vita humana esse sanitatem, manifeste patet necessitas eam conseruandi amissamque restituendi, neque male me fecisse puto, qui vi officii ductus, de necessitate collegii medici Varsauiæ auctoritate Regia erigendi, hoc est, de maiori adhibenda diligentia in hominum sanitate & conseruanda & restituenda, deque eiusmodi instituti emolumento in publicum redundante, dixerim.

III

Ante autem quam vlterius progredi in enarrando graui hoc argumento possim, opus videtur mihi duas variorum in Polonia hominum præceptas animo opiniones, quæ sanitatem hominis vitamque attineant, prius euertere. Sunt multi, qui sibi persuadeant, medicamenta omnia, vel ad conseruandam vel restituendam sanitatem plane non esse necessaria, & naturam ipsam morbos & auertere & sanare. Verum est, sapientissimum omnium rerum creatorem corpus humanum, vt & aliorum animalium corpora ita construxisse, vt iidem motus, qui ad perniciem machinæ, ex partibus fluidis & solidis compositæ, tendunt, ansam dare debeant, vt materia intus corpori noxia hærens, & alteretur, & in salutem corporis euacuetur, corporisque motus præter naturam existentes in naturales iterum mutentur. Hoc ita quibusdam, iis in primis qui robusto sint corpore & iuuenes, euenire posse, nemo medicorum negabit. Sed verissimum etiam, experientia quotidiana teste, reperimus, multos esse morbos, quos naturæ conatus nullo modo possint superare. Vt clarius tibi hoc sub oculos cadat, varia dabo exem-

pla.

pla. Arteria vel vena maior, casu vel studio incisa, mortis causa erit, sicut & omnia grauiora vulnera, nisi chirurgus te obliget, & symptomata, quæ grauiora vulnera comitari soleant, vel idem vel medicus auertat. Frustra expectabis a natura opem. Hydrops, lues venerea, epilepsia, phthisis, dysenteria cruenta epidemica, febris acuta maligna, pestis, & plures alii morbi, forte omnes a natura sanantur? vix audebis hoc affirmare. Quam multi enim homines his morbis, veris medicaminibus ad eos tollendos carentibus, fuerunt interemti, & quam multi ab iisdem fuerunt medicorum cura, vera possidentium remedia, liberati conseruatique? Innumeræ medicorum obseruationes typis impressæ hoc testantur. Necessitas igitur atque insignis vtilitas medicinæ ita clare iam patet, vt manibus tractare queas. Præterea ipsa nostra Polonia testis est, iis in regionibus, quæ careant medicis, plures interire homines, quam in iis, quæ illis fruantur, licet simul affirmarim, plures homines empiricorum ignorantia e medio tolli, quam medicorum cura seruari, id quod non tam arti, quam paucitati verorum medicorum imputandum. Abusus enim nunquam tollit vsum.

IV

Quam plurimi tandem oculorum morbi ita sunt comparati, vt in vanum ab ipsa natura expectes auxilium, & nisi forte experientissima ophthalmiatri manu fruaris, orbatus sine dubio eris splendida illa luce, quæ tam multum ad vitam beatam confert. Credo iam satis clare me probasse, medicamenta & ad conseruandam & restituendam sanitatem omnino esse necessaria, neque minus tamen & sequentia mihi adiicienda videntur. Credisne tu, inconsiderate medicinæ contemtor, DEUM & naturam frustra aliquid facere. Non credo, dices. Ergo nec credere debes, DEUM & naturam frustra tam multas radices, herbas, mineras producere quotannis, quæ omnia, si recte aptentur, sanitati hominum inseruiunt egregie. Atque adeo natura, auctore DEO, ita prouida, ut in iis ipsis locis, quibus certi quidam morbi præ cæteris dominentur, etiam copiosius remedia contra eosdem morbos reperiantur. Hinc locis mari Balthico vicinis, in Dania, Belgio, locis vbi scorbutus magis endemius, copiosissime crescit cochlearia, scorbuti antidotus, locis paludosis, eidem malo obnoxiis, nasturtium aquaticum vbertim prouenit; absinthium, raphanus rusticanus, locis, vbi obstructiones mesenterii magis vigent. Vide *Th. Barthol.* Tr. de Medicina Danorum, ex quo hæc excerpsit Wedelius in amœnitat. *Mater. Med.* p. 27. Adiiciamus endemium morbum in Polonia esse plicam, vbi etiam muscus clauatus, seu lycopodium, quæ herba & cingularia dicitur, verum huius morbi specificum, in copia variis in locis inuenitur. Re vera eiusmodi sibi solis sapientes, inferiores bestiis homines ponunt. Illæ enim vi instinctus a natura inditi, medicinam quærunt, & bufo

 plan-

plantaginem, vim alexipharmacam habentem contra araneas applicat. Ceruus dictamnum quærit, paſſeres canarii herba alſine ſe purgant. Ibis avis adſtricta aluo aduncitate noſtri per eam partem ſe perluit, & ipſe ſibi clyſterem applicat. Capra oculi punctionem inſtituit. Si his omnibus errorem, in quo, ratione medicinæ, verſaris, nondum tibi exemerim, plura non dicam. Sis iſtis animalibus imprudentior, per me licet.

V

Alter valde nociuus error, in quem magna Polonorum pars rapitur, eſt hic: Deus vnicuique certum quendam vitæ curriculum circumſcripſit, cui neque prorogari, neque derogari poteſt. Si illud vitæ curriculum in eo ſit, vt iam finiatur, nil iuuare omnia medicamenta, ſi nondum finitum ſit, inutiles eſſe medicinas, ægrotum enim etiam ſine iis non moriturum. Quamuis variis, qui non ſatis docti & perſpicaces ſint, hæc poſitio vera videri poſſit, monſtrabo nunc non tantum pernicioſum, ſed etiam impium eſſe errorem, eumque ex ignorantia maxime & pia ſuperſtitione ortum trahere.

VI

Ante omnia rerum nexus demonſtrari debet, quod hoc modo poteſt abſolvi. Nil fit in vniuerſo ſine ratione ſufficienti vel fortuito, & inter principium & principiatum datur nexus, hoc eſt, principium in ſe continet rationem eius, quod dicitur principiatum. Ergo eſt nexus etiam inter cauſam & effectum, & non plus poteſt eſſe in effectu, quam fuit in cauſſa, nilque poteſt eſſe cauſſa ſui ipſius, vel ſe ipſum producere. Si ergo ſit rerum nexus, ſi verum ſit, patrem cauſam eſſe filii, pluuiam fœcunditatis terræ, ſolem luminis, manifeſtum eſt, omnes euentus in vniuerſo contingentes habere veritatem ſuam determinatam, ſeu certas eſſe, & dari rerum nexum, hoc eſt, effectum ſequi non poſſe, niſi poſita cauſa. Aſſerto ſemel rerum nexu, ſponte corruit neceſſitas euentuum abſoluta, & hypothetica tantum vera manet. Cum enim hominum actiones & propenſiones liberæ ſint, fieri non poteſt vt Caius inebrietur, cum ſanus nil præter aquam bibat. Cum porro nullus finis ſine mediis, nullus effectus ſine cauſis intermediis obtineatur, patet fatum Mahumedanum, Stoicum, Aſtrologicum, Spinozianum, figmenta eſſe, ſapientiæ diuinæ contraria. Quo enim maior rerum harmonia, & quo plures res ita inter ſe connexæ, vt altera per & propter alteram ſit, eo mundus diuina eſt ſapientia dignior. Non dicam, omnes leges, pœnas & præmia vana eſſe, ſi omnia abſolute in mundo contingere debeant, ſed hoc dicam, te impie Deum auctorem omnium malorum facere, ſi contendas, omnia abſolute ita fieri debere. Si autem hoc negas, neque homo etiam ante terminum ſecundum naturæ leges a Deo conſtitutum abſolute mori debet. Probaui enim omnes euentus non abſolute, ſed poſitis cauſis intermediis fieri. Vitæ au-

tem

tem curriculum ſecundum naturæ leges a Deo hominibus circumſcriptum, raro ſecundum Moſis effatum excedit octoginta annos, licet quidam centum & plures annos viuant, ideoque diſtinguendum inter cauſſam naturalem, quæ vnica tantum in conſolidatione vaſorum minimorum temporis tractu paulatim facta, conſiſtit, & præternaturalem, quarum numerus ſatis magnus. Non tantum autem cauſſa mortis naturalis auerti non poteſt, ſed ſæpius etiam præternaturalis, ſi vel incuria morbus iam maior factus, quam vt medicamenta eum ſuperari poſſint, vel partes quædam corporis nobiliores iam putrefactæ, vel violentia ruptæ aut diſciſſæ ſint. Ita vere dixit *OVIDIVS* Lib. I, de ponto.

Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger
Interdum docta plus valet arte malum.

E contrario ſcimus, multos homines etiam a periculoſiſſimis morbis medicorum ope liberari, & medicus doctus genuinis ad omnes morbos remediis gaudens, omnes abſolute morbos curare debet, ſi nulla adhuc nobilior corporis pars putrefacta aut violentia rupta vel diſciſſa ſit, medicus in tempore adhibeatur, atque ægrotus omnia medici præcepta obſeruet. Pudor enim omnino pro medico merito eſt, ſi quis ægrorum ex febre, dyſenteria, pleuritide, atrophia, hydrope omento nondum putrefacto, ictero, lue venerea &c. in cura eius moriatur, cum hi morbi & plures alii ſub dicta conditione ſemper ſint medicabiles, ſed dolendum multos medicos ad multos morbos non habere medicamenta, quæ tamen benigna & ditiſſima natura largiter ipſis ſuppeditaret, ſi debita diligentia quærerent. Neque enim ſatis mihi eſſe videtur, ſcire cauſam morbi & qua ratione curari debeat, ſed & vera & efficaciſſima ad eum curandum poſſidere medicamina.

VII

Erronea igitur iſta ſententia ita erit corrigenda: Deus vnicuique certum quendam vitæ curriculum ſecundum naturæ leges ab ipſo datas, hoc eſt ſecundum cauſas in vita præceſſas, conſtituit hypothetice, mortis cauſas autem præternaturales homo, cæteris paribus, & auertere & promouere poteſt. Intelligi etiam hoc facile poteſt a poſteriori. Si enim abſolute certo quodam tempore mori debeat homo, neque venenum ante illud tempus ſumtum ei nocebit, neque, ſi ex turri ſe præcipitet, ante illum diem morietur. Dubito autem fore, vt quiſquam eiusmodi experimentis errorem ſuum confirmare velit. Cum nunc manifeſtum ſit, hominis vitæ curriculum non abſolute eſſe determinatum, ex eo ipſo ſequitur, hominem corporis ſui ſanitatem & conſeruare & perdere poſſe, prout vel bene vel male ſecum agit. Deus enim hominibus actiones liberas reliquit, vt & male & bene facere poſſint, ſin minus, neque bona facta, gratioſus remunerari, neque mala iuſte punire poſſet.

Satis

VIII

Satis ex his apparet, errorem de quo dixi, non ſolum pernicioſum eſſe, quia homines eo capti omneque medicorum auxilium contemnentes facile interire poſſunt, cum adhuc reipublicæ in gloriam diuinam potuiſſent inſeruire, ſed etiam impium, quia, eo conceſſo, Deus omnium malorum auctor dicitur. Ignorantia huius erroris maxima cauſſa, rerum nexu minus recte perſpecto, quemadmodum pia eſt ſuperſtitio, poſthabitis, quæ Deus in ſalutem hominum creauerit, medicamentis, mediciſque in ſcriptura ſacra ægrotis commendatis, ſupernaturale ſolum expectare auxilium diuinum.

VIIII

Cum igitur cognouimus, ſanitatem pretioſiſſimum huius vitæ eſſe theſaurum, eamque & conſeruari & reſtitui poſſe medicamentorum ope, neceſſitas atque inſignis præſtantia medicamentorum & medicorum manifeſto patet. Quam ob cauſſam in omnibus etiam totius Europæ ciuitatibus maioribus, publica auctoritate, collegia medicorum ob publicum bonum inſtituta ſunt, ſola excepta Varſauia.

X

Quam maxime autem neceſſarium ſit, vt Varſauiæ in primis inſtituatur medicorum collegium Regia auctoritate, paucis ſed ponderoſis probabo argumentis, ſimulque in fine adiiciam ſpeciminis loco eiusmodi collegii medici leges, quarum obſeruatio in publicum maxime redundat.

XI

Neminem fugit huc vſque omnibus circumforaneis, empiricis, vetulis, medicinam facere liberum fuiſſe, multoſque homines ægrotis medicinas adhibere, qui neque nomina morborum, neque medicamentorum vires, ne dicam ſcientias ad medicinam recte faciendam abſolute neceſſarias, didicerunt. Si quis horum quendam ex ignorantia trucidat, nulla inquiſitio, nullum examen inſtituitur, nilque ſupereſt, niſi patientia læſorum. Hoc autem malum, nemo melius quam collegium medicum ſanare poteſt, quod armata manu gaudeat, & mox diſparebunt iſti generis humani inimici, cum nemini liberum fuerit, medicinam exercere, quam iis, qui examinati a collegio medico teſtimonium de doctrina medica habeant. Ob vnicam hanc cauſam præter alias nunc dicendas, iam neceſſitas collegii medici & emolumentum publicum patet.

XII

Scimus porro ex abuſu in Polonia inueterato nullam eſſe fere diſtinctionem inter chirurgum & medicinæ doctorem promotum, omnesque medicinam adminiſtrantes doctoris nomine a Polonis inſigniri. Venit chirurgus ex Gallia vel Germania in Poloniam, qui ſæpius neque praxin neque fidem domi inuenerit, degit per aliquot menſes inter Polonos, variisque ſanguinem mittit, vel clyſterem cum ſucceſſu applicat, iam doctoris nomine

ne ſalutatur, & tractu temporis aſſuefactus titulo, opprobrio ſibi eſſe credit, ridiculum dictu, chirurgi nomen, itaque audax euadit, ut intricatiſſimos morbos ſuſcipere non dubitet, atque adeo medicos probatos ac iuratos doctrina æquiparare velit, per quod non ſolum multi ægroti læduntur ac moriuntur, ſed tanta etiam oritur confuſio, vt ſæpius ægroti neſciant, quem medicum, ex tam magna ſic dictorum medicorum doctorum turba, adhibere debeant. Inſtituto autem collegio medico & hoc inconueniens e medio tolli poterit, ſi nulli chirurgo circumforaneo liberum ſit medicinam internam facere, ſed iis tantum, qui ſcientiarum medicarum expertes a collegio medico capaces reperiuntur, & ægroti deinde in eligendo medico non tam facile errare poterunt.

XIII

Tertio inſignem vtilitatem proceres regni ex eiuſmodi collegio percipient, cum non ſolum ad conſeruandam vel reſtituendam ſanitatem ſemper conſilio totius collegii citra magnos ſumtus eo certiori fructu vti poſſint, quo maiori plures ſtudio vires vniant, ſed etiam medicos ſuos & chirurgos, quorum opera in aulis ſuis vti in animo habent, per collegium medicum prius examinare, & de eorum ſcientia atque experientia eo certiores eſſe.

XIIII

Quarto eximium emolumentum ex eiuſmodi inſtituto in publicum etiam redundat. Orta enim peſte, quod Deus auertat, vel alio morbo epidemico graui, collegium omni ſtudio inuigilabit, vt cauſſam eius proximam ſcrutetur, remedium contra ortum morbum optimum inueniat & publici iuris faciat.

XV

Quinto non ſolum emolumento, ſed honori etiam, Poloniæ erit hoc inſtitutum, cum ſingulis collegii congregationibus vnus ex collegio argumentum medicinæ ſelectum, vel caſum extra ordinem explicet, quæ quotannis in volumen collecta imprimantur, vt exteri etiam ex Polonia habeant, quæ conferre ad incrementum medicinæ poſſint.

XVI

Sexto ipſi collegii medici ſocii, orta honeſta æmulatione, perfectiores inde euadent, cum alter alterum doctrina, experientia, litteris, ſuperare conetur, & publicum ex hoc fructum reportabit.

XVII

Ex his ſatis clare, mea quidem ſententia, & neceſſitas & vtilitas, collegii medici Varſauiæ Regia auctoritate erigendi, intelligitur, & nil mihi ſupereſſe videtur, quam dilineatio ſalutarium eiusmodi inſtituti pro bono publico legum, quarum vis in his maxime ineſt.

1. Collegium medicum consistat ex omnibus medicinæ Doctoribus promotis Varsauiæ degentibus & aulæ Regiæ chirurgis, vt & ex tribus ciuitatis pharmacopolis & tribus chirurgis. Chirurgi habeant sessionem & votum in rebus ad chirurgiam spectantibus, & pharmacopolæ in rebus pharmaceuticis.

2. Collegii socii singulis mensibus determinato die conueniant, & alter post alterum legat dissertationem de selecto quodam & vtili medicinæ argumento, vel de cura & casu quodam extra ordinem, specimina in volumen collecta quotannis imprimantur, vt publicum inde vsum hauriat. Postea deliberent, qua ratione quam optime sanitati hominum inseruiri possit, & in primis allaborent, quæ attineant ad sanitatem Poloniæ publicam, omniaque ea obseruet faciatque, quæ collegio sanitatis obseruanda faciendaque incumbant.

3. Nullus medicus Varsauiam veniens & ibi domicilium collocans medicinam exerceat, nisi prius a collegio fuerit examinatus, omnesque chirurgi medicinam internam exercentes coram collegio, scientiarum medicarum experientiam probent. Sin minus, citentur coram collegio, & si non compareant, caussa eorum coram iudicio supremi Regni Marefchalli, vel coram iudicio Assessoriali Regni Cancellarii supremi diiudicetur.

4. Collegium medicum vigilet pro exacta medicamentorum in pharmacopoliis præparatione & distributione, & eum in finem bis quotannis omnia pharmacopolia visitet, quæ minus recte præparata, vel inueterata inueniat, auferat.

5. Collegium habeat singulis annis alium præsidem, & vnusquisque secundum ordinem præsideat, socius autem recens in collegium receptus non præsideat nisi elapsis quatuor annis, si ordo eum tangat. Præsidis Officium sit, conuocare socios cæteros, desiderata proponere, & curare vt specimina Collegii imprimantur, ab omnibus & singulis collegii sociis diiudicata, consiliaque abægrotis petita expediantur per ætate minimum collegii socium. Ordo autem eorum sit secundum ætatem, qua doctores creati fuerunt. Si autem aliunde medicinæ doctor adueniat, licet ætate maior, vltimum locum occupet.

6. Omnis in collegium receptus socius soluat ad fiscum collegii pro accessione quatuor aureos numos, & ab omni pecunia, quæ collegio pro consiliis numeratur, duo aurei soluantur ad fiscum, quem præses administret, & cum calculo successori tradat. Ex fisco hoc alatur seruus collegii, qui ex arbitrio præsidis pendeat, libri nouissimi medici comparentur, aliaque expensa ferantur. Reliqua. Scribebam Varsauiæ d. III. Septembri MDCCLII